C A P U T I I.

Idem *in* a *eodem*.

DAmnamus ergo, & reprobamus *b* libellum, seu tractatum, quem Abbas *c* Joachim edidit contra Mægistrum Petrum *d* Lombardum de unitate, seu essentia Trinitatis, appellans ipsum hæreticum, & insanum, pro eo, quod in suis dixit sententiis, quoniam quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; & illa non est generans, nec genita, nec procedens: unde asserit, quod ille non tam Trinitatem, quam quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam, quasi quartam: manifeste protestans, quod nulla res est, quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; nec est essentia, nec substantia, nec natura; quamvis concedat, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt una essentia, una substantia, unaque natura. Verum unitatem hujusmodi, non veram, & propriam, sed quasi collectivam, & similitudinariam esse fatetur: quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi Fideles una Ecclesia, juxta illud: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una; &, Qui Deo adhæret, unus spiritus est cum illo. Item: Ille, qui plantat, & qui rigat, unum sunt: &, Omnes unum corpus sumus in Christo. Rursus in libro Regum: Populus meus, & populus tuus unum sunt. Ad hanc autem suam sententiam adstruendam illud potissimum verbum inducit, quod Christus de Fidelibus inquit in Evangelio: Volo Pater, ut sint unum in nobis, sicut, & nos unum sumus: ut sint consummati in unum. Non enim (ut ait) Fideles Christi sunt unum, idest quædam una res, quæ communis sit omnibus; sed hoc modo sunt unum, idest una Ecclesia, propter Catholicæ Fidei unitatem; & tandem unum regnum, propter unionem indissolubilis charitatis, quemadmodum in canonica Joannis Epistola legitur: Quia tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt. Statimque subjungitur: Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt; sicut in quibusdam codicibus invenitur. Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus, & confitemur cum Petro Lombardo, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earumdem: & ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas; quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina: quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest: & illa res non est generans, neque genita, nec procedens: sed est Pater, qui generat: & Filius, qui gignitur: & Spiritus Sanctus, qui procedit: ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud; sed id quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus idem omnino, ut secundum orthodoxam, & Catholicam Fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab æterno filium generando, suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur: Pater quod dedit mihi, majus ab omnibus est. Ac dici non potest, quod partem substantiæ suæ illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit; cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi: alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit: & ita Pater, & Filius habent eamdem substantiam; & sic eadem res est Pater, & Filius, necnon, & Spiritus Sanctus ab utroque procedens. Cum ergo Veritas pro Fidelibus suis orat ad Patrem: Volo (inquiens) ut ipsi sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus; hoc nomen, Unum, pro Fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia; pro personis vero divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura, quemadmodum alibi Veritas ait: Estote perfecti, sicut, & Pater vester cælestis perfectus est: ac si diceret manifestius, Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cælestis perfectus est perfectione naturæ, utraque videlicet suo modo; quia inter creaturam, & creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eas major sit dissimilitudo notanda. Si quis igitur sententiam, vel doctrinam præfati Joachim in hac parte defendere, vel approbare præsumpserit, tamquam hæreticus ab omnibus evitetur. In nullo autem propter hoc *e* Florensi monasterio (cujus ipse Joachim extitit institutor) volumus derogari: quoniam ibi & regularis est institutio, & observantia salutaris; maxime cum ipse Joachim omnia scripta sua nobis adsignari mandaverit, Apostolicæ Sedis judicio adprobanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, quam propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ (disponente Domino) cunctorum Fidelium mater est, & magistra. Reprobamus etiam, & condemnamus perversissimum dogma impii *f* Almarici, cujus mentem sic pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica, quam insana sit censenda.

N O T Æ.

a E*odem*.) Ita etiam legitur in quarta collectione sub hoc titulo, *c.* 2. idest, Innoc. III. in eodem Concilio Lateranensi, *cap.* 2.

b *Libellum*.) Non fuit damnatus auctor, Abbas videlicet Joachim, sed ejus libellus principaliter: damnato enim auctore, & ejus scripta damnata videntur, *c. fraternitatis* 4. *de hæreticis*, ubi dicemus.

c *Joachim*.) Monachus Benedictinus, qui construxit Monasterium Florense, vir in Sacris Scripturis perdoctus: scripsit commentaria in Isajam, Jeremiam, & in Apocalypsin; circumferuntur etiam ejus nomine vaticinia de futuris Religionibus, aliisque rebus, ut eximiis laudibus illum extollentes tradunt Jacobus Græcus *in ejus vita*, Vivar. *in apologia pro Flavio Dextro*, *n* 12. Gabriel Pennotus *l.* 1. *hist. Canonic. Reg. c.* 51. Bellarm. *de Scriptoribus Ecclesiast. sæculo* 12. *pag. mihi* 241. Penna *in addit. ad direct. Inquisit.* 1. *par. pag* 4.

d *Petrum Lombardum*.) Patria Novariensem, Episcopum Parisiensem, vulgo Magistrum sententiarum appellatum, qui librum I. Sentent. de Trinitate, & Unitate Dei scripsit, quam partem, præcipue distinctionem quintam, impugnavit prædictus Abbas Joachim, adstruens in Trinitate unitatem, non illam quidem propriam, & essentialem, quam Catholici profitemur, sed collectitiam, & similitudinariam, sicut multi homines dicuntur unus populus: idque probabat loco perverse intellecto Joannis *c.* 17. ut referunt Baronius *anno* 1164. Cabassutius *in notitia hujus Concilii*, Primarius noster Illustris. Manrique, Episcopus Pacensis, *tom.* 4. *annal. Cisterc. anno* 1215. *c.* 5. De Petro Lombardo, & ejus scriptis ultra illius expositores plura tradunt Bellarm. *de Script. pag.* 231. Franciscus Valens, & Petrus Gregorius in præsenti.

e *Florensi monasterio*.) Cum in Conc. Lateranensi non Joachim Abbas, sed libellus ipsius damnatus esset, ne ejus detractores in ipsum, atque ejus monasterium inveherentur, Innocentius declaravit, Florensi monasterio prædictam libelli damnationem non obesse, & Honorius III. Innocentii successor intra sexennium similem expedivit declarationem in gratiam utriusque, Abbatis videlicet, & monasterii: cujus declarationis verba ex Bibliotheca Vaticana refert Penna *ubi sup.* quæ sic se habent: *Honorius, & cetera, Consentino Archiepiscopo Bisinacensi. Ex parte dilectorum filiorum Abbatum, & Conventuum de ordine Floris, tam capitis, quam membrorum, fuit propositum coram nobis, quod is, qui saluti hominum invidet, & quieti, occasione assumpta ex eo, quod libellus, quem Abbas Joachim contra bonæ memoriæ Magistrum Petrum Lombardum edidit, in generali fuit Concilio condemnatus, contra eos nonnullos, tam clericos, quam laicos, Prælatos, & subditos concitavit: qui ut ipsos ab otio contemplationis avertant, & funes extendentes in laqueum pedibus eorumdem, ponant eis scandalum juxta iter, ipsis objiciunt exprobrando, quod idem Abbas, qui pater, & institutor fuit Ordinis eorumdem, hæreticus ab Ecclesia Dei habetur: propter quod non solum simplices lactis participes a consortio ejusdem Ordinis avertuntur, sed etiam fortes, qui uti cibo solido didicerunt, & ad discretionem boni, & mali exercitatos pro consuetudine habent sensus, circa instituta ejusdem Ordinis incipiunt fluctuare. Licet igitur prædictus libellus, sive tractatus, condemnatus fuerit in Concilio memorato; quia tamen ipse Joachim omnia scripta sua Romano mandavit Pontifici assignari, Apostolico judici approbanda, seu corrigenda, dictam epistolam, cui propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ (disponente Domino) cunctorum fidelium mater est, & magistra: F. T. per Apostolica scripta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publice nuntiari, quod eum virum catholicum reputamus, & regularem observantiam, quam instituit, salutarem. Eos qui Ordini memorato ex hoc detrahere, vel insultare præsumpserint, mon. præm. sub. Apost. ob. castig. Dat. Laterani XIII. Kalendas Januarii, anno* 5.

f *Almarici*.) Almaricus hic, sive Amoricus (hoc duplici nomine vocat eum Gualterus *sæc.* 13. *c.* 1.) natione Gallus, patria Carnotensis, Theologus Parisiensis, cum apud Parisios non parvam doctrinæ opinionem obtineret, in varios errores incidit, quos referunt Eymericus *in direct. Inquis. p.* 2. *n.* 3. Prateol. *verbo Almaricus*, Bzou. *an.* 1215. *n.* 2. Salleles *l.* 3. *de materiis tribun. c.* 15. *regul.* 274. Inter quos illum magnopere fovebat, videlicet, verum Christi Corpus non esse magis sub Eucharistia, quam in alia qualibet re. Unde hanc propositionem non tam hæreticam, quam insanam esse censuerunt PP. Concilii Later. in præsenti: ille tamen, ac ejus sequaces refossis ossibus Lutetiæ usti sunt, ut referunt Ganguinus *lib.* 6. *sub Philippo*, Sander. *lib.* 7. *de visibili Monarc.* Senebrardus *l.* 4. *chronogr.* & ex eis Sallelles *ubi supr.* Rigordus, & Robertus Polonus, quos referunt Altesera, & Florens *ubi sup.*

Hujus textus historiam, & occasionem libelli scripti a Joachimo Abbate ex eo repetit Severinus Binius in notis ad hoc Conc. Lateranense, quod cum Alexander III. aliquorum relatu accepisset Magistrum Petrum Lombardum in quibusdam scriptis suis a fidei articulis recedere, ad Vvilhelmum Senonensem Archiepiscopum sub hac forma literas direxit.

ALEXANDER EPISCOPUS
Servus servorum Dei

Vvilhelmo Senonensi Archiepiscopo salutem.

„ CUm in nostra olim esses præsentia constitutus, tibi viva „ voce injunximus, ut suffraganeis tuis Parisiis tibi adscitis ad abrogationem pravæ doctrinæ Petri quondam Parisiensis Episcopi, qua dicitur, quod Christus secundum „ quod est homo, non est aliquid, omnino intenderes, & efficacem operam adhiberes. Inde siquidem est, quod fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod „ tibi cum præsens præcepimus, suffraganeos tuos Parisios convoces, & una cum aliis viris religiosis, & prudentibus, „ præscriptam doctrinam studeas penitus abrogare, & a Magistris, & Scholaribus ibidem in Theologia studentibus, Christum, sicut perfectum Deum, sic & perfectum hominem, „ ac verum hominem ex anima, & corpore consistentem, „ præcipias edoceri: universis firmiter, & districte injungens, „ quod doctrinam de cetero illam nequaquam docere præsumant, sed ipsam penitus detestentur. „ Hactenus Alexander.

Conjectatur ergo Binius Joachimum Abbatem invitatum, & exhortatum a Præsule Senonensi, impugnasse Petrum Lombardum, non solum in his, quæ refellenda erant, verum in aliis articulis veris, & orthodoxis. Joachimus autem omnia correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ subjecit, unde propter hanc pronam ad corrigendum voluntatem, non ipse, sed ejus libellus damnatus fuit.

Commentarium hujus tituli omitto, quia interioris Theologiæ est: ultra non licet attingere; nam, & præstat alioqui multa secure prætermittere, quam cum periculo dicere. Videndi sunt D. Thom. *opusc.* 2. 3. & 24. Canus *lib.* 2. *de locis*, *c.* 7. Penna *ad Directorium Inquisitorum*, Prosperus Fagnanus *in præsenti*.

In hoc textu illud non duxi omittendum, videlicet Trinitatis appellationem vetustiorem esse, quam creditum est viris eruditis, qui scribunt, eam primum receptam fuisse in Synodo prima Alexandrina celebrata an. 315. Nam Justinus Martyr, Scriptor longe antiquior, in libro de expositione Fidei, ait: *Unitas namque in Trinitate intelligitur*, & *Trinitas in unitate noscitur*. Et Lucianus, qui eodem fere tempore vixit, in dialogo inscripto *Philopatris*, *&c.* aperte, & distincte significat, quæ tunc fides esset Christianorum, & more suo Religionem eorum irridet, dum ait: *Quemnam igitur tibi jurabo Deum, alte regnantem, magnum, immortalem, cælestem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem; unum ex tribus, & ex uno tria.*

T I T U L U S II.

De Constitutionibus.

C A P U T P R I M U M.

Ex Concilio a *Meldensi*.

UT *b* Canonum statuta sine præjudicio ab omnibus custodiantur, & nemo in *c* actionibus, vel judiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur. In exponendis etiam Sacris Scripturis Sanctorum, Catholicorum, & probatissimorum Patrum sensum quisque sequatur, in quorum scriptis, ut B. dicit Hier. Fidei veritas non vacillet. Sed, & qui in suis monasteriis religiose residere debent, & vocum novitates, ut innotescant, studio proferre satagunt, acerrime ut præsumptores arguantur, & comprimantur.

N O T Æ.

1 Meldensis Concilii historia.

M*Eldensi*.) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & apud Burchardum *lib.* 2. *Decreti*, *cap.* 61. Carnotensem *parte* 5. *Decreti*, *cap.* 171. & apud Ant. Augustinum *in epitome juris*, *lib.* 5. *tit.* 10. *c.* 49. Meldis vulgo dicta *Meaux*, nobilis civitas est Galliæ Celticæ, cujus meminerunt Turonensis *lib.* 5. *cap.* 1. Ptolomæus *lib.* 2. *cap.* 8. Plinius *lib.* 4. *cap.* 18. in qua celebratum fuit hoc Concil. Meldense anno 845. 15. Kal. Julii, ut testantur Binius, & Sirmundus *in notis ad illud*. Congregatum fuit ad reformationem morum, & Regis Lotharii, qui facile Ecclesiasticas res laicis possidendas tradebat; in eoque petierunt Patres ab ipso Rege, ut capitula a Carolo Magno, & Ludovico Pio prædecessoribus facta promulgare, & observare faceret, ut refert Baronius *in d. anno*, *n.* 52. & constat ex Canone 78. ipsius Concilii, Canones enim Galliæ, de quibus *in cap. si quis Diaconus*, 50. *dist.* tamquam inutiles, quosdam Romanos rejecisse conqueritur Agobardus Lugdunensis Episcopus contra legem Gundevaldi. Sed melius est horum canonum sequi auctoritatem, quam proprium sensum. Ejus Concilii fragmenta extant *in cap. precaria* 4. 10. *qu.* 2. *c.* 1. 28. *qu.* 1. *cap. de illis* 6. *qu.* 3. *c. cavendum* 3. *cap. quod* 7. 1. *qu.* 7. *cap. nemo* 41. 11. *q.* 3. *cap. quicumque* 6. 23. *qu.* 8. *cap. si autem* 36. *qu.* 2. *cap. Ecclesiæ* 18. *de consecr. dist.* 1. *cap. ut Episcopi* 7. *de consecr. dist.* 5. & præsens textus reperitur in canone 11. ipsius Concilii: in editionibus vero Binii, & Regia Parisiensi in canone 34. ex quo integram restituo.

2 b *Canonum statuta*.) Generalia, interpretatur Glossa, quam sequuntur in præsenti Baldus *col.* 1. Ferretus *n.* 3. Burgos *n.* 22. Mandosius *n.* 9. Sed contrarium, videlicet tam statuta generalia, quam provincialia comprehendi in hoc textu, docuerunt in præsenti Decius, Panormitanus, Immola, Card. Veronius, Riminaldus, Lælius Mancinus *genialium c.* 224. quorum sententia verior est, juxta ea quæ in solutione secundæ difficultatis dicemus. Et licet statuta plerumque jus peculiare civitatis, seu municipii significent, *c.* 1. *hoc tit. in* 6. *c. statutum* 9. *de hæret. l.* 6. tamen jus commune, & generale sæpius demonstrant, *c. statutum* 22. *de elect. in* 6. *c. statutum*, *de rescr. eodem libro*, *cap. statutum* 15. *cap. statuta* 10. *de hæret. eodem libro*, *c.* 1. *§. ult. de appellat. eod. lib. cap. Regula*, *§. porro*, 3. *dist.* notavit Mancinus *d. cap.* 224.

3 c *Actionibus*.) Criminalibus, exponit Glossa, itaut actio ad criminales, judicium ad civiles causas referantur. Sed cum actionis acceptio non semper ad jus persequendi, seu agendi in judicio referatur, ut probant Petrus Gregorius 3. *parte syntagmatum*, *l.* 21. *c.* 8. *nu.* 9. Brissonius, Othomanus, & Pratejus *verbo Actio*, rectius credo actiones in hoc textu referri ad extrajudiciales actiones, quod, & docuit Ferretus hic, & infra explicabimus.

COMMENTARIUM.

EX hoc Meldensis Concilii canone communiter talis deducitur assertio: *Canonum statuta ab omnibus* (*tam in actionibus, quam in judiciis*) *debent custodiri*. Et eam probant textus *in c. Ecclesiasticarum*, *dist.* 11. *c. fin. dist.* 14. *c. quoniam* 7. *dist.* 16. *c.* 1. *dist.* 14. *c. de libellis*, 20. *dist. c. relatum* 14. *dist.* 37. *c. nulli* 4. *c. placuit* 7. 38. *dist. c. judicet* 4. 3. *q.* 7. *c. etsi illa* 23. 1. *q.* 7. *c.* 1. 12. *qu.* 1. *nulli*, *c. violatores* 5. *c. contra* 7. *c. hac* 13. *c. ideo* 16. 25. *q.* 1. *cap. ne innitaris* 5. *hoc tit.* Conc. Cabilonense II. *can.* 9. *Canonum statuta ab omnibus intemerata serventur*. Chalcedonense *canone* 1. ibi: *Canones a Sanctis Patribus in unaquaque Synodo hucusque positi serventur*. Nicænum II. *can.* 1. Synodus 8. sub Adriano, *c.* 1. & 2. Lateranensis sub Martino I. *can.* 17. 18. & 20. Carthag. 2. *can.* 13. *Omnia, quæ a vestro cœtu gloriosissimo statuta sunt, placet ab omnibus custodiri*. Aurelianense III. *can.* 32. *Nec ignorare quemquam, nec dissimulare, idest prætermittere permittitur*. Aurelian. 4. *can.* 16. Bracharense I. *can.* 40. *Præcepta antiquorum canonum, quæ modo in Concilio recitata sunt, nullus audeat preterire*. Bracharense 2. *in fine*, Toletanum 3. *can.* 1. Matisconense *can.* 9. Toletanum 8. *can.* 11. & 12. Toletanum 12. *can.* 9. Trid. *sess.* 25. *de reform. can.* 18. *l. omni* 6. *C. de sacrosanctis Ecclesiis*, *l. sacris* 45. *Cod. de Episcopis*, & *clericis*. Consonat lex 16. *partita* 1. Alia juris testimonia congerit Antonius August. *in epitome*, *lib.* 1. *tit.* 17. & *l.* 5. *tit.* 10. Illustrant prædictam conclusionem Petrus de Ancharano, Baptista Ferrerius, Ant. de Burgos, Andreas ab Exea, Franciscus Coccius *in repetitionibus ad nostrum textum*, extant *tom.* 1. *repetitionum juris canonici*. Martinus Uranius, Millianus, Riminaldus, Fagnanus *hic*, & noster Primarius D. Roque de Bergas *in hoc textu*: plures relati a Cenedo *ad Decretales collectione* 84. Barbosa *in præsenti*, Suarez *de legibus l.* 1. *cap.* 6. *nu.* 5. Balsamon *in nomocanone*, *tit.* 1. *c.* 2. Cironius *ad titulum de regulis juris*, Franciscus Valens 2. *tomo concordiæ*, *in præsenti*, Pater Azor. *tom.* 1. *institutionum*, *lib.* 4. *c.* 5. 4 Conclusio deducitur, & probatur.

Sed in hanc assertionem ita juribus roboratam, & auctorum fulcro munitam insurgi potest sequenti consideratione: Si omnes tenerentur, & ligarentur statutis sacrorum Canonum, tam fideles justi, quam alii viatores, tam Ecclesiastici, quam laici, tam subditi, quam extranei deberent ea observare: Sed prædictæ personæ non ligantur legibus Ecclesiasticis: Ergo prædicta assertio generaliter, & indistincte sustineri nequit. Probatur mi- 5 Impugnatur tradita assertio.

minor. Primo ex eo, nam fideles liberati sunt a legibus hominum per Christum, ut docet D. Paulus 1. *ad Cor. c.* 6. Unde Dominus apud Matthæum *c.* 23. reprehendit scrutantes mandata hominum: & Apost. 1. *ad Tim.* 6. *c.* 1. ait: *Justo non est lex posita c.* 2. 29. *q.* 2. & ad Gal. *c.* 5. inquit: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege:* & *cap.* 7. *ad Rom. Nunc autem soluti sumus a lege, in qua detinebamur.* Ergo fideles justi non tenentur Canonum statutis. Secundo probatur; nam laici legibus, seu statutis temporalibus Conciliorum non obstringuntur, ut probant Turrecremata *in summa Ecclesiæ, l.* 2. 2. *par. cap.* 103. Victoria *in relectione de Ecclesia, qu. penult.* Bellarm. & alii quos refert Salas *de legibus disp.* 7. *sect.* 4. *n.* 3. Suarez *eodem tr. l.* 4. *c.* 17. Diana 1. *par. tr.* 1. *res.* 1. & 2. In orbe enim Christiano duæ sunt potestates distinctæ; scilicet spiritualis, quæ residet penes Summum Pontificem, & Ecclesiæ Prælatos; & sæcularis, competens Regibus, & sæcularibus Magistratibus, *c.* 2. 96. *dist. cap. convenior,* 13. *q.* 8. *c. solitæ, de majorit. & obed. extrav. unam sanctam, eodem titulo:* nec altera alteri præjudicare debet, *c. Imperium, c. quoniam, dist.* 10. *c. si Imperator,* 96. *dist.* Elfricus Hunnius *in Encyclop. de legibus cap.* 3. Igitur sicut Principis sæcularis legibus, aut statutis laicorum non ligantur Ecclesiastici, *c. Ecclesia, c. cum* 8. *hoc titulo:* ita nec laici Episcoporum statutis obstringi debent. Tertio probatur ipsa minor; nam subditi alieni constitutionibus alieni Pastoris non tenentur, *c.* 2. *de constit. l.* 6. plures enim sunt constitutiones locales, quibus non omnes ligantur, *c. sciendum,* 29. *dist. c. statuimus,* §. *his,* 61. *dist. c. cum longe,* 63. *dist.* Igitur non recte in Concilio Provinciali Meldensi absolute statutum fuit, Canonum statuta ab omnibus esse custodienda.

6 **Ecclesia habet potestatem legislativam.**

Hac tamen dubitandi ratione non obstante, vera est supra relata conclusio, videlicet canonum statuta ab omnibus esse custodienda. Pro cujus exactiori expositione sciendum est, in Ecclesia esse potestatem legislativam, & Romanum Pontificem tamquam ejus caput, posse universali Catholicæ Ecclesiæ leges indicere, ex potestate sibi a Christo Domino concessa, per illa verba; *Quodcumque ligaveris super terram:* & illa, *Tu es Petrus;* quæ referuntur *in c.* 16. *D. Matthæi, in c. in novo,* 21. *dist. c. quodcumque,* 24. *q.* 1. *c. novit, de judiciis:* & probatur ex definitionibus Ecclesiæ, in quibus hæc veritas stabilitur, & Concilio Constantiensi *sess.* 8. & 15. & in Bulla Leonis: etsi fremant hæretici, qui tantum in Deo agnoscunt potestatem legislativam, non vero in hominibus, ut Vvaldenses, & alii, quos refellunt D. Thom. *l.* 1. *de regim. Principum, c.* 1. Victoria *in relectione de potest. civili,* Bellarm. *l.* 3. *de laicis, c.* 2. & *lib.* 4. *de Rom. Pontifice, c.* 15. *usque ad* 22. Castro *l.* 1. *de lege pœnali, cap.* 4. Azor. *t.* 1. *instit. l.* 5. *c.* 6. *q.* 1. Alvarus Pelagius *de planctu Ecclesiæ, c.* 63. Salas *de legib. disp.* 8. *sect.* 2. Suarez *eodem tr. l.* 4. *c.* 1. Paulus Layman *in summa, tr.* 4. *de legib. c.* 4. §. 1. Grethserum *pro Bellarmino l.* 4. *c.* 5. Mathias Bredembachius *l.* 4. *antiperapisthis, c.* 5. Mancinus *genialium c.* 164. Imo in hoc sensu divina mandata dicuntur, quæ injunguntur ab Ecclesia: Petrus Cluniacensis *l.* 4. *epist.* 18. & ea ratione probatur: Regimen enim perfectum communitatis necessario fieri debet legibus, ut post Politicos docent de legibus agentes Garzonus *in theatro, titulo de Jurisconsultis,* Solorzano *emblemate* 66. Sconbornerius, *l.* 3. *politica, c.* 1. Hunnius *in encyclop. tit.* 2. Ergo Ecclesia gubernari alio modo non poterat, nisi legibus promulgatis. An autem Ecclesia, vel ejus Magistratus habeant potestatem ferendi leges canonicas ecclesiasticas, non solum ad res spirituales, verum etiam civiles, & politicas? quæstio est apud Interpretes. Affirmant Pelagius *de planctu Ecclesiæ, c.* 41. Hostiensis *in c. super his, de voto,* Abbas *in c. novit, de judiciis,* Navar. *ibi, notabili* 3. *n.* 9. pro quibus facit illud Lucæ *c.* 22. ibi: *Ecce duo gladii.* Ex quibus verbis deducit Bonifacius VIII. in dicta extravaganti *Unam sanctam,* Romanum Pontificem habere duas potestates, unam spiritualem, aliam temporalem. Sed negativam sententiam, ut veriorem tenet Turrecremata *in summa Ecclesiæ, l.* 2. *c.* 103. Victoria *de potest. Ecclesiæ, quæst. penultima,* Bellarm. & alii, quos referunt Salas *de legibus disp.* 7. *sect.* 4. Suarez *eodem tr. l.* 3. *c.* 7. Diana 1. *p. tr.* 2. *res.* 122. qui satisfaciunt prædictæ auctoritati. Semper tamen observandum est, in terris subjectis Ecclesiæ Romanæ Romanum Pontificem posse civiles leges proferre, uti spirituales, *c. si duo,* §. *denique, de appellationibus, l.* 6. in terris vero Principum sæcularium, indirecte, etiam circa res temporales, in ordine ad finem spiritualem, posse etiam leges indicere, *c. per venerabilem, qui filii sint legitimi;* quomodo accipiendi sunt textus *in c. Vigilanti, c. finali, de præscriptionibus, c. cum haberet, de eo qui duxit in uxorem, c. finali, de secundis nuptiis.*

7 **De Conciliis provincialibus diœcesanis.**

Sicut Pontifex in universa Ecclesia, ita & Episcopi in suis diœcesibus possunt constitutiones facere, exceptis rebus Romano Pontifici reservatis, aut jam jure communi decisis, *c. Catholica,* 11. *dist. c. nullus* 3. *q.* 4. *cum omnes, cap. cum accessissent, de constitutionibus, c.* 1. *de consecratione, dist.* 3. *c.* 2. *de majorit. & obed. c. final. de feriis, c.* 2. *de locato.* Barbosa *de potest. Episc.* 2. *parte, in comp. n.* 44. Suarez *d. l.* 4. *c.* 4. Salas *disp.* 8. *sect.* 4. Nec solum Pontifex, & Episcopi per se leges condendi potestatem habent, verum etiam Concilia, tam generalia, quam nationalia, provincialia, seu diœcesana. Generalia, si coram Romano Pontifice, aut ejus Legatis celebrata sint, alias si approbata non reperiantur, non obligant generaliter omnes fideles. Jacobatius *de Conciliis, art.* 10. Suarez *ubi supra, c.* 6. Cetera vero absque ulla confirmatione Pontificis circa materiam proportionatam canones possunt condere, quibus subditi obstringantur, non vero generaliter omnes fideles, nec de majoribus caussis aliquid in eis statui valet, *c. Concilia, dist.* 17. & in praxi quidem veteris Ecclesiæ dubitari non potest; quin Concilia provincialia potestatem condendi canones haberent, modo ea decreta contraria non essent canonibus Conciliorum generalium. Exemplo erunt varia Concilia Hispana, necnon aliarum Provinciarum: unde Auctor Apolog. pro decretis Gregorii VII. *c.* 2. & 4. docet decreta Conciliorum Oecumenicorum observanda esse, velut leges Evangelicas; deinde rationem etiam habendam canonum in Synodis Provincialibus editorum, dummodo contrarii non sint canonibus Conciliorum. Quapropter merito reprehendendus est Gratianus, qui novum jus introducere conatus est *in epist.* 18. posse quidem Concilia hæc caussas judicare, & criminibus debitas pœnas irrogare, non tamen novos canones condere: itaque Glossa eum aperte redarguit, quæ ita scribit ad eam locum: *Illud non est verum, quia Episcopi bene condere possunt canones Episcopales, & Archiepiscopi Provinciales; sed de majoribus caussis non possunt aliquid statuere.* Exceptio Glossæ aperit genuinum sensum dicti capitis *Concilia,* ex quo Gratianus sententiæ suæ fundamentum mutuatus est, quodque descriptum est ex Apolog. Ennodii Ticinensis, ut notavit P. Marcha *l.* 6. *concord. c.* 14. *in fine.* Prosequuntur Hostiensis *in summa hujus tit.* Suarez, & Salas ubi supra, & Illustr. Tapia *dicto tractatu de legibus,* qui late agunt de aliis communitatibus inferioribus legis condendæ potestatem habentibus; istæ vero Episcoporum, seu Conciliorum constitutiones etiam appellantur Canones, & ut canonum statuta servantur, *Clement.* 1. *de privilegiis,* Nicæna Synodus 2. *in epist. ad Theodorum: Suscipimus, & ex animo amplectimur sextas sacras universales Synodos; locales autem Synodos non aversamur, sed magis amamus, & amplectimur.*

8 **Leges regulariter omnes ligant.**

Secundo animadvertendum est regulariter legem sancitam, & publicatam ad sui observantiam obligare universos subditos ejus, qui eam condidit: quod probatur ex D. Paulo *ad Romanos c.* 3. *vers.* 19. *Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, his qui in lege sunt, loquitur, l. leges ut generales* 3. *C. de legibus.* Hunnius *in notis ad Treutlerum, vol.* 2. *disp.* 4. *q.* 36. & indefinite omnes subditos, cujuscumque sint conditionis, & dignitatis: unde lex dicitur commune præceptum, communis sponsio, cui omnes obtemperare debemus, *l.* 1. & 2. *ff. de legibus,* Osvaldus *ad Donellum, l.* 1. *c.* 16. *lit. D.* Plura, ut solet, adducit Solorzanus *emblem.* 66. & pactum publicum discitur ab Aristotele *l.* 1. *Rhetor.* notat post Menchacam Osvaldus *l.* 12. *comment. Donelli, c.* 4. *litt. A.* Eo pertinet lex duodecim Tabularum; *Privilegia ne irroganto;* de qua Cicero *l.* 3. *de legibus,* & *pro domo sua,* ibi: *Vetant leges sacræ, vetant duodecim Tabulæ, leges privatis hominibus irrogari.* Notant Gothofredus *in quatuor fontibus ad ipsas leges, tabula* 9. Samuel Petitus *ad leg. Atticas, l.* 2. *tit.* 1. nisi in ipsis legibus certæ personæ excipiantur, ut in ea lege, qua peregrini ab urbe ejici jubebantur, nominatim Glaucippus excipiebatur, ut scribit Cicero *de lege agraria:* & in lege Pompeji, qua absentes a petitione Magistratus arcebantur, exceptus fuit Cajus Cæsar, testante Svetonio *in Cajo Cæsare, c.* 28. An vero leges debeant observari cum periculo vitæ, disputant late de legibus agentes, tam Juristæ, quam Theologi: nos tamen ut minus proprium præsentis commentarii omittimus; id tamen sine piaculo omitti non valet, videlicet legibus Ecclesiasticis, idest sacrorum Canonum statutis non ligari Judæos, & Gentiles nondum baptizatos, *c. de infidelibus, de consanguinitate, & affinitate: c. fin. de divortiis,* quia de his qui foris sunt, quid ad Ecclesiam? *c. multi,* 2. *q.* 1. *c. gaudemus, de divortiis,* Petrus Gregorius *in præsenti, nu.* 5. Fideles vero adulti, cujuscumque status, seu conditionis sint, ubicumque degentes, Pontificiis legibus Ecclesiasticis, aut Concilii generalis ligantur; & hac in parte est magnum discrimen inter leges Ecclesiasticas, & civiles; nam civiles nullæ sunt, quæ universum orbem obligent, nec etiam omnes hominum conditiones; statuta vero Canonum ex suo genere utriusque effectus habent capacitatem, ut late probat, & considerat Suarez *lib.* 4. *de legibus, c.* 19.

9 **De effectibus legum.**

Tertio sciendum est, legis rite constitutæ varios effectus esse, quos refert post alios Hunnius *in Encyclop. titulo de legibus, c.* 4. inter eos autem præcipuus, & primarius est formam dare negotiis, *l. leges* 7. *C. de legibus,* ut sic homines vivant, & negotientur; quod adeo procedit, ut si aliqua contra leges irritantes gesta sint, pro nullis habeantur, atque infectis, *l. non dubium* 5. *C. de legibus,* Arnoldus Vinius *l.* 1. *selectarum, q.* 1. Caldeira *l.* 2. *de erroribus Pragmaticorum, c.* 1. Hunnius *ad Treutlerum volumine* 1. *disp.* 6. *q.* 54. & *disp.* 11. *q.* 28. nec solum hoc procedit in actionibus conventionalibus, sive extrajudicialibus; nam ad effectum legum, tam civilium, quam Ecclesiasticarum pertinet, quod ex illis caussarum decisiones petantur; siquidem omnes judices tenentur secundum veritatem, & legum observantiam judicare, *l. nemo* 13. *C. de sententiis, & interl.* Novella 21. *c.* 2. & 25. §. *ult.* & 79. *c.* 1. Authentica *jubemus, C. de judiciis,* principium Instit. *de officio Judicis, c.* 1. *de re judicata, l.* 6. Clementina 1. §. *Verum, de hæret.* Christineus *t.* 1. *dec.* 9. ita enim judicari oportet, ut lex ipsa, si loqui posset, judicaret, ut sit lex quasi anima judicis, judex quasi vox legis. Donellus *l.* 26. *commentariorum, c.* 2. Frustra enim leges scriberentur, si judices ab eis recedere, & suo sensu, & arbitrio lites decidere possent. Plura Bodinus *l.* 3. *de republica, c.* 4. *n.* 289. Tiraq. *de tract.* §. 35. *nu.* 31. Hinc judices in leges jurabant, omnia ex legibus se constituros, & judicaturos, *l. rem* 14. *authent. sed hodie, C. de judic.* ubi Giphanius, Donel. *l.* 26. *c.* 2. & in singulis caussis in leges jurabant: cujus juramenti forma refertur *in novella* 14. *c.* 6. & de eo plura adducunt Polletus *l.* 5. *historiæ fori, c.* 7. Revardus *l.* 5. *Var. c.* 8. Riterursius *in notis ad Salvianum, fol.* 388. Pet. Faber *ad tit. de* ori-

origine juris, Ansenius *de jurajur. c.* 7. Osvaldus *ad Donell. l.* 24. *c.* 3. *littera E.*

10 **Traditur ratio decidendi.**

Ex his jam apparet decisiva ratio nostræ conclusionis; nam cum Pontifici omnes fideles subsint, & Episcopis sui subditi, *c. omnis, de majoritate, & obedient. extravaganti unam sanctam, eodem tit.* & quicumque potestati subjecti sunt, subdantur legi, quam fert illa potestas, *c.* 2. *de majorit. & obed. l. unica, ff. si quis jus dicenti,* docet D. Thom. 12. *q.* 96. *art.* 5. ideo in nostro textu deciditur Canonum statuta ab omnibus esse custodienda; si Concilii generalis, ab universis fidelibus; si Concilii nationalis, ab una natione; si provincialis, a tota Provincia; si synodalis, ab integra diœcesi: & cum per constitiones forma præscribatur negotiis, tam judicialibus, quam extrajudicialibus, recte affirmatur in nostro textu, servantes canonum statuta, non suo sensu, aut arbitrio, sed canonum statutis uti debere, & eorum auctoritate duci, cum omnes judices, tam sæculares, quam Ecclesiastici, teneantur leges, & statuta in judiciis, & aliis actionibus observare: docent Vultejus, Vinius, & Pichardus *in* §. 1. *Instit. de officio judicis.*

11 **Dissolvitur ratio dubitandi.**

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, ex qua dicebamus fideles liberatos esse a servitute per Christi passionem, & sic non teneri servare leges. Nam leges, etsi plura prohibeant, non derogant aliquid libertati, ut docet Donellus *lib.* 2. *comment. c.* 9. imo potius, qui sub legibus vivunt, liberi sunt: pulchre Plutarchus *in initio libri de audit. Qui rationi parent, soli digni sunt, qui liberi vocentur; soli enim hi vivunt ut volunt, qui quod velle debeant, didicerunt.* Cicero pro Cluentio, *Ideo legum servi sumus, ut liberi esse possimus.* Cum enim homines custodiunt leges, canonumque statuta, non tam hominum, quam ministrorum Dei mandata servant. Nec obstant Apostoli fragmenta, quibus suffulti Beguardi inter alia nefanda dogmata asseruerunt, hominem perfectum legibus non teneri; quorum hæreses damnarunt Patres in Concil. Viennensi relato in Clementina *Ad nostram, de hæreticis;* refert Spondanus *anno* 1311. quæ fragmenta ut exponant, plura adducunt Suarez *l.* 1. *de legibus, c.* 19. Salas *eodem tr. disp.* 14. *sect.* 1. Azor. *t.* 1. *moralium, l.* 5. *c.* 6. *q.* 1. Ea tamen plausibilior interpretatio mihi videtur, quæ asserit illis in locis non docere Apostolum justos non teneri legibus, vel non peccare, si leges non servent; sed eas auctoritates esse accipiendas de vi coactiva, non directiva: licet enim omnis lex posita sit ad obligandos etiam justos, Trid. *sess.* 6. *can.* 11. & 19. non tamen ad cogendos illos, quia non indigent coactione; non enim habent legem supra se, quasi cervicibus suis imminentem, flagello terrentem, & minantem, ut habent injusti, qui timore tantummodo pœnæ legibus obtemperant: operantur enim bonum justi amore justitiæ, quod Poeta eleganter expressit illis versibus:

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Quocirca justi in lege potius esse dicuntur, quam sub lege, quomodo exponunt Apostolum in dictis locis D. Thom. 1. 2. *q.* 93. *art.* 6. Gazeus *ad Cassianum collat.* 21. *c.* 2. Valentia *t.* 3. *controv. disp.* 7. *q.* 5. *pun.* 4. *Aliud est,* inquit D. Aug. super Psalmos, *esse in lege, aliud sub lege: qui est in lege, secundum legem agit: qui est sub lege, secundum legem agitur. Ille ergo liber est, iste servus.* Hac interpretatione retenta apparet, non recte Donellum *l.* 12. *comment. c.* 5. prædictum locum Apostoli objicere Modestino *in lege obligamur,* §. 1. *ff. de obligationibus & actionibus,* ubi ait Jurisconsultus: *Lege obligamur, cum obtemperantes legibus, aliquid secundum præcepta legum facimus, vel contra facimus.* Nam ejus textus verus sensus est, nos lege obligari, quando leges aliquid præcipiunt, aut prohibent, quibus obtemperare necesse est: tunc enim sumus lege obligati, cum aliquid secundum præceptum legis facimus, ut cum testamentum juxta leges condimus, aut e contra idest e converso, ob ejus prohibitionem non fecimus; dictio enim *contra,* ibi non est præpositio, alias idem decideretur, quod *in* §. *ex peccato,* sequenti; sed extat adverbialiter sine casu, pro e converso, ut *in l. si duobus* 28. §. *ult. ff. de jurejurando, l. quod jussit* 14. *l. si duo* 39. *ff. de re judicata, l.* 2. §. *ult. ff. de verbor. oblig.* ex Ciceronis, & aliis probat Turselinus *de particulis, c.* 39. docuit magnus Præceptor meus Doctor Hontiberos *in suo tract. de legibus, c.* 1. *n.* 2. & alia tradiderunt pro ejus textus expositione Giphanius *ibi,* Cujacius *l.* 17. *observ. c.* 18. nec obstant etiam D. Pauli testimonia, & cetera: *ad Romanos c.* 7. *Nunc autem soluti sumus.* Nam ibi Apostolus loquitur de lege veteri, sub qua fideles non sunt; Apostolus enim docere volebat, nunc non esse fidelibus necessariam legem Moysis, nec ab eis esse servandam, ut constat ex ipsa integra epistola 5. esse tamen sub lege naturali *honeste vivendi,* non secundum concupiscentiam, unde ait: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege;* ac si diceret, quamvis necessarium sit spiritu vincere concupiscentiam, non ideo estis sub lege scripta. Latius prosequitur *d. l.* 1. *c.* 19. Nec augmentum dubitandi rationis obstat; nam, ut supra diximus, loquuntur Patres in præsenti de statutis canonum ad ecclesiasticas res pertinentibus, non vero ad civiles, quas directe indicere Ecclesia non valet, ut supra dixi. Nec ultimum argumentum refragatur, in quo dicebamus, tantum subditos teneri legibus suæ Ecclesiæ; nam nostri textus verba cum distinctione commoda accipienda sunt, scilicet canonum statuta esse ab omnibus servanda, cum quibus loquuntur, vel quibus imponuntur; ut si a Concilio generali, omnes, & universi fideles; si a nationali, incolæ illius nationis, si a provinciali, Provinciales; si a synodali, diœcesani vicini teneantur, ut docet Franciscus Valens *t.* 2. *concord. juris, fol.* 126. *in præsenti.*

Ex his infertur interpretatio ad textum *in c. contra* 7. 25. *q.* 1. ubi ait Zosimus Papa: *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest auctoritas; apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam.* Ex quibus verbis colligitur statuta Patrum, vel Conciliorum magna cum reverentia ab omnibus esse custodienda: sed difficilis est textus ille, dum innuit Romanum etiam Pontificem illis canonum statutis ligari, adeo ut neque in eis dispensare valeat; quod verum non est, siquidem Romanum Pontificem in statutis Conciliorum, etiam generalium, dispensare posse, dicitur *in c.* 2. *de translatione Episcopi, c. proposuit, de concessione præbendæ:* docent Jacobatius *de Conc. l.* 1. *c.* 15. Covar. *in* 4. 2. *par. c.* 6. §. 9. *n.* 6. Morla *in emporio, tit. de legibus, qu.* 2. Victoria 3. *parte de potestate Papæ, p.* 227. agnoverant eam difficultatem Glossa, Turrecremata, & Archidiaconus *ibi,* qui ut illi satisfaciant, asserunt, textum illum procedere in statutis pertinentibus ad fidem Catholicam, vel jus naturale, aut divinum continentibus; tunc enim R. Pontifex debet statuta Patrum observare, & tueri, *c. violatores, c. prima salus, c. quæ ad perpetuam, c. nulli, c. a sanctis,* 25. *q.* 1. Eos sequuntur Covar. *ubi sup.* Morla *d. q.* 2. Azor. 1. *parte instit. l.* 5. *c.* 14. *q.* 4. Roa *de juribus principalibus, q.* 2. *n.* 30. Rousselius *l.* 1. *historiæ Pont. jurisd. c.* 6. *n.* 8. 12 **Exponitur c. contra, 25. q. 1.**

Sed prædictæ conclusioni adversatur textus in authentica *hodie, C. de judiciis,* ubi postquam Justinianus *in l. rem* 14. *C. eodem tit.* docuerat, judices debere jurare in leges, videlicet se secundum eas judicaturos, subjungit hæc verba: *Hodie jurant se facturos, secundum quod eis visum fuerit justius, & melius, exceptis defensoribus civitatum, qui jurant omnia secundum leges, & jura facturos;* ex quibus verbis colligitur, non omnes teneri statutis legum in judiciis duci, sed suo arbitrio posse caussas decidere. Cui difficultati aliqui satisfaciunt asserendo, Magistratus majores judicare, non secundum leges, sed prout eis æquum visum fuerit, etiam contra jus. Damhouderius *in praxi, c.* 128. *n.* 13. Sed hæc solutio refellitur ex novella 8. *c.* 12. & novella 82. *c.* 13. & traditis a Donello *l.* 26. *comment. c.* 2. Alii asserunt per verba illa, *secundum quod eis visum fuerit justius, & melius,* nihil aliud jurare, quam jus servaturum, & verba illa, *exceptis defensoribus,* accipi, id est, comprehensis etiam defensoribus, cum aliquando verbum, *excipere,* significet *includere, l.* 1. § 2. *ff. de postulando, l.* 2. §. *quod si mancipium, l.* 4. §. *idem, ff. de ædilitio edicto, l. tutelas, ff. de cap. minutis,* Petrus Faber *l.* 3. *semestrium, c.* 24. Sed ne plus temporis in referendis, refellendisque solutionibus, quam in veris adstruendis consumamus, dicendum est, prædicta verba authenticæ *hodie,* non recte traducta, transcriptaque esse ex ipsa Græca constitutione, ubi ita verba vertenda erant: *Conservabo ut jus, & æquum esse videbitur:* quibus verbis nihil aliud Magistratus jurat, quam se servaturum jus: addit, *quod recte videbitur,* idest non aliud se facturum, quam quod jus esse sciet, & intelliget, ut plerumque Judices jurant, *c. videntes* 19. *de jurejurando:* docet pro ejus textus interpretatione Donellus *l.* 26. *comment. c.* 2. Sensus ergo Justiniani est, Magistratus majores jurare se judicaturos, secundum quod justius & melius illis visum fuerit, quia illi ex circumstantiis a legibus recedere possunt, *l. hodie* 14. *ff. de pœnis.* Magistratus vero inferiores, ut defensores civitatum, jurant se omnia secundum leges judicaturos, ut justius, ac melius, & secundum leges examinari, & decidi debet, ut patet ex ipsa juramenti formula relata in dicta novella 8. his verbis: *Neutri parti præter jus, & fas addictus ero.* Notavit Bronchorst. *centuria* 1. *assert.* 7. etsi aliter textum illum accipiant Gilkenius *in dicta lege rem* 12. Richerius *in dicta authent. hodie.* 13 **Intelligitur authentica hodie c. de jud.**

C A P U T II.

a Gregorius *in* b *regesto, lib.* 7. *in distinctione secunda, epistola* 35. *ad* c *Fortunatum Episcopum* d *Neapolitanum.*

COgnoscentes, qualis fraternitatem vestram zelus pro Christianis mancipiis, quæ Judæi de Galliarum finibus emunt, accenderit, adeo nobis solicitudinem vestram placuisse signamus, ut inhibendos eos ab hujusmodi *e* negotiatione, nostra etiam deliberatio judicaret. Sed Basilio Judæo cum aliis Hebræis veniente, comperimus hanc illis a diversis judicibus Reipublicæ emptionem injungi, atque evenire, ut inter *f* Paganos & Christiani pariter comparentur. Unde necesse fuit ita caussam cauta ordinatione disponi, ut nec mandantes frustrari, nec hi qui contra voluntatem suam se inquiunt obedire, aliqua sustineant injuste dispendia. Proinde fraternitas vestra hoc vigilanti solicitudine observari, ac custodiri provideat, ut revertentibus eis a præfata Provincia, Christiana mancipia, quæ ab ipsis adduci contigerit, aut mandatoribus contradantur, aut certe Christianis emptoribus intra diem quadragesimum venundentur; & transacto hoc dierum numero, nullus apud eos quolibet modo re-

maneat. Si autem quædam ex iisdem mancipiis talem ægritudinem fortassis incurrerint, ut intra statutos dies vendi non valeant, adhibenda solicitudo est, ut dum saluti fuerint pristinæ restituta, similiter modis omnibus distrahantur; quia rem, quæ culpa caret, ad damnum vocare non convenit. Quoniam vero quoties novum quid statuitur, ita solet futuris formam imponere, ut multis dispendiis præterita non commodent, si qua apud eos mancipia ab emptione anni præteriti remanserunt, vel a vobis nuper ablata sunt, dum apud vos sunt posita, ea habeant alienandi licentiam, ne detrimentum ante prohibitionem possint ignorantes incurrere, quod eos dignum est postmodum vetitos sustinere.

NOTÆ.

1 Gregorii Magni tempus.

a Gregorius.) Ita etiam legitur in prima collectione *sub hoc titulo*, *c.* 2. & in ipso regesto epistolarum, ex quo litteram præsentis textus restituo. Greg. cognomento *Magnus*, natione Romanus, urbanam Præfecturam gessit; unde noverat jus civile Romanorum, cujus in epistolarum libris crebro mentionem facit. Monachus fuit Ordinis D. Benedicti, ut contra Baronium defendunt Gregorius Lopez, Madera *de reliquiis Montis sancti*, *c.* 5. Yepes *t.* 1. *chron. D. Benedicti*, *centuria* 1. *anno Christi* 576. Varia opera eruditione plena scripsit, quorum catalogum refert Ludovicus a S. Carolo *in Biblioth. Pontificia*, *l.* 1. *littera G.* & plura de ejus mira sanctimonia, & gestis congesserunt Baronius & Coriolanus anno Christi 590. Joannes Diaconus in ejus vita, Platina, Papirius, Masonius, Luitprandus, & alii de vitis Pontificum scribentes. Creatus fuit Pontifex anno 590. & Ecclesiam rexit usque ad annum 604. Plures epistolæ ex ipsius regesto transcriptæ sunt in hac decretalium collectione, quæ reperiuntur aliquando mendose sub nomine Gregorii IX. *in c.* 1. *de testamentis*, & aliis, ubi notabimus.

2 Regestum quid.

b *Regesto*.) Regesta, sive Registra vocavit sequioris sæculi Barbaries scrinia, in quibus tum chartæ & rescripta, tum thesaurii Regii condebantur. Gregor. Turon. ærarii publici regestum dixit *l.* 9. *c.* 5. & crebro usurpat *eodem l. c.* 10. & *c.* 40. & *l.* 10. *c.* 19. Prudentius *l. peristephanon*, pro scriniis chartarum accipit.

Hic in regestis liber est cælestibus,
Monimenta servans laudis indelebilis.

Quæ tandem acceptio in Ecclesia Romana viguit. Nam quemadmodum Imperatorum constitutiones, & rescripta in scriniis servabantur; ita Romanorum Pontificum epistolæ in scriniis, archivis, & regestis reconditæ fuerunt. In chartario Ecclesiæ Romanæ epistolam requirendam esse, ait D. Hier. *in apolog. adversus Rufin.* Et Nicolaus Papa *in epistola ad Episcopos Galliæ*, *in caussa Rotalai Suessionensis*, Romanam Ecclesiam decretalia in suis archivis, & vetustis monumentis habere recondita refert. Et hæc Pontificum regesta per annos Pontificatus digesta erant, ut patet ex hoc regesto Gregorii, & ex aliis Gregorii VII. Alexandri III. Innocentii III. & aliorum Pontificum. Epistolas ex hujusmodi regestis desumptas pro canonicis sanctionibus haberi probat Parexa *de instrum. edit. tit.* 5. *resol.* 2. *n.* 8. ut apud nos instrumentum in archivo publico repertum fidem facit, *ex l.* 8. *tit.* 19. *partita* 3. ubi Gregorius *glossa* 3.

3 c *Fortunatum*.) Secundum videlicet, qui floruit temporibus Gregorii Magni; nam S. Fortunatus primus Episcopus Neapolit. floruit circa annum 300. ut refert Carraciolus *in monum. Eccles. Neapolit. c*, 22.

4 Neapolis descriptio.

d *Neapolitanum*.) Neapolis urbs percelebris est Campaniæ, imo totius Regni caput, in cujus sinum felicia omnia videntur a Deo congesta, ut refert Flores *l.* 1. *cap.* 16. dum de ea agens inquit: *Omnium, non modo Italiæ, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est, olim Parthenope dicta*. Claudianus *l.* 3. *ad Claudiam uxorem*.

Nostra quoque, & propriis tenuis, nec rara colonis,
Parthenope, cui mite solum trans æquora vectæ. Virgilius *l.* 4. *Georg.*

Parthenope studiis florentem ignobilis otj.

Silius Italicus *l.* 12. Solinus *c.* 2. *Parthenope*, *a Parthenope Syrenis sepulchro*, *quam Augustus postea Neapolim esse maluit*. Ex Plinii historia, Chalcidenses habuit conditores; ex Strabonis vero sententia, Cumanos. A Syrenis conditam refert Antonius Monachus *in sua Campania*; & quid verum, examinat eruditus D. Garsias Coronel. *in notis ad Gangoram*, *tom.* 2. *sonet.* 56. Habuit Ecclesiam Cathedralem jam a temporibus B. Petri Apostoli, ut ejus originem repetens tradit Carraciolus, *ubi supra*.

5 e *Negotiatione*.) De justitia hujus negotiationis apud nos, & an licitum sit commercium mancipiorum, quæ ex Brasilia, Æthiopia, & Indiis in Europam transvehuntur, dubitant Molina *de justitia*, *disp.* 34. 35. & 36. Rebellus *eodem tract.* 1. *part. l.* 1. *q.* 10. Azor. 3. *part. lib.* 8. *c.* 6. *qu.* 5. Sanchez *lib.* 1. *consil. c.* 1. *dub.* 4. Gibalinus *de negotiat. l.* 1. *c.* 4. *ar.* 3. *conf.* 3. quos consulas, qui fere damnant similem emptionem in ejusmodi locis.

6 Pagani qui.

f *Paganos*.) Pagani ex eo dicti sunt apud priscos scriptores, quia in pagis habitarent. Pagus autem a fontibus simul confluentibus dictus est. Festus Pompejus *verbo Pagus*, ibi: *Pagus, fons Græce dicitur; unde simul plures domus rusticæ, hoc est plures villæ, pagus vocantur, quod circa fontes vondi hujusmodi pagi consueverint*. Inde Præpositi pagorum *in leg.* 1. *C. Theodos. de erogatione milit. annon.* Quare pro *Præpositi pacis*, restituendum est, *Præpositi pagi*, *l.* 1. *C. Theodos. de pignor. l.* 49. *eodem C. de decur. l.* 2. *C. de susceptoribus*, *l.* 10. apud Eusebium *l.* 4. *c.* 1. etiam Pagani dicti ibi habitantes, quasi in eodem fonte potantes. Postea tamen in Imperatorum sanctionibus, & Auctorum scriptis pagani dici cœperunt Gentiles, qui adhuc Idolorum cultui dediti erant. D. Aug. *l.* 1. *retr. c.* 43. *Deorum sulforum cultores usitato nomine paganos vocamus*: & *l.* 1. *& per totum titulum de paganis*, *in Theodos. & Justin.* Unde autem pagani Idolorum cultores dicti sint, non liquet apud Doctores, ut constat ex traditis a Philastrio *de hæresibus c.* 3. Beda *in Cantica l.* 6. *c.* 30. Baronio *die* 11. *Januarii*, *& anno* 351. Vvetitio *in notis ad Prudentium*, *fol.* 614. Arnifeo *l.* 1. *de repub. cap.* 5. *sect.* 1. Connano *l.* 9. *comment. c.* 5. Osualdo *l.* 18. *Donelli*, *c.* 7. Solorzano *t.* 1. *de jure Ind. l.* 2. *c.* 19. *n.* 76. Salmosio *in notis ad Vopiscum*, *in Saturnino*, Steubechio *in notis ad Vegetium de re milit. l.* 2. *c.* 23. Ex quibus placet sententia Baronii *dicto anno* 351. qui refert, quod cum Constantinus Imperator adversus Maxentium expeditionem publice pararet, indixit, ne quis nisi Christianus militiæ nomen daret: imo si quis Gentilis ausus esset militiæ adscribi, cingulo exueretur, & ad propria redire cogeretur. unde frequenter pagani militibus opponuntur, *leg. quadam*, *ff. de pœnis*, *l.* 1. *C. de milit. testam.* Facit lex 21. *C. Theodos. de paganis*, ibi: *Qui profano pagani ritus errore, seu crimine polluuntur, hoc est Gentiles, nec ad militiam admittantur*. Unde ab his temporibus idolorum cultores pagani dici cœperunt. Non me latet, alios non inferioris eruditionis Scriptores existimasse, paganos dictos fuisse idolorum cultores a temporibus Christianorum Imperatorum, quia clausis idolorum delubris, sacrificiisque vetitis, Gentiles sic publice ab idolorum cultu exclusi pagos adirent, ut clandestina sacra peragerent. Videndus Gothofredus *ad titulum C. Theodos. de paganis*.

7 g *Comparentur*.) Quod pluribus sacris canonibus & Imperatorum legibus prohibitum fuit, quas dabimus *in c.* 1. *de Judæis*.

COMMENTARIUM.

8 Conclusio probatur.

Ex hoc fragmento epistolæ Div. Gregorii illa communiter deducitur ab Interpretibus conclusio: *Constitutio futurum respicit, non præterita, nisi in ea specialiter aliud caveatur*. Probant textus *in c. ante triennium*, 31. *dist. c.* 2. 42. *dist. c.* 5 *quidem* 2. 10. *q.* 1. *c. dixit* 3. 32. *q.* 4. *c. ex tua*, *de filiis Presbyterorum*, *c. aqua*, *de consecratione Ecclesiæ*, *c. per tuas*, *qui filii sint legitimi*, *c. dilectus*, *ut lite pendente*, *c.* 2. *de constitutionibus*, *l.* 6. *c. unico*, *de postulatione Prælatorum*, *eod. l. c. cum singulis*, *de prebendis*, *in* 6. Clementina *Ut hi qui*, *de ætate*, *& qualitate*, *c. ult. eod. titulo*, *in* 1. *collectione*, *c.* 2. *de decimis*, *in* 5. *collectione*, *l.* 3. *l. leges* 7. *C. de legibus*, *l. penult. & ult. C. de sacrosanctis Ecclesiis*, *l. jubemus*, *C. de testamentis*, *l. ult. in fine*, *C. de curatore furiosi*, *l. unica*, §. 15. *de caducis tollendis*, *l. ult.* §. *ult. C. de suis & legitimis*, *l. unica*, *C. de contractibus Judicum*, *l. per diversas* 22. *C. mandati*, *l.* 3. *Cod. Theodosiani de constitutionibus Principum*, *l. Divus* 65. *C. de decurion.* Novella 7. *cap.* 1. *in fine*, Tridentinum *sess.* 27. *c.* 12. 18. & 20. Authentica *Ut cum*, *de appellatione*, *in princ. collat.* 8. *l. de variis* 27. *C. de usuris*, Authentica *de hæredibus ab intestato*, §. *finali*, *collat.* 9. *l. fin. in fine*, *tit.* 14. *partita* 3. *l.* 6. *tit.* 1. *l.* 2. *recapitulationis*: Illustrant ultra relatos a Cenedo *in collect.* 1. *ad Decretales*, & Barbosa *in præsenti*, Uranius, & Petrus Gregorius *in repetitionibus ad hæc jura*. Suarez *de legibus*, *l.* 13. *c.* 14. Morla *eodem tractatu*, *q.* 6. Angujanus *l.* 5. *de legibus*, *c.* 1. & *sequenti*, Germonius *l.* 1. *animadvers. c.* 2. Donellus *l.* 1. *commentarium*, *c.* 5. ubi Osvaldus *littera F*, Mornacius *in d. l. leges*, Othomanus *l.* 1. *observationum*, *cap.* 1. Moneta *de commutatione*, *c.* 6. *n.* 264. Acunna *in c. ex antiquis*, 54. *dist.* Salas *de legibus*, *tr.* 14. *disp.* 21. *q.* 97. Pez *ad leges stili*, *rubrica* 12. *n.* 157. Azevedo *in d. l.* 6. *recopilat.* Phebus *tom.* 2. *dec.* 151. Franciscus Valens, & Prosperus Fagnanus *in præsenti*, Barbosa *in selectis*, *l.* 6. *ad hunc textum*, & *voto* 26. Gothofredus *in d. l.* 3. *C. Theod. de constitutionibus Principum*, Diana *par.* 6. *tr.* 3. *per totum*, Menchaca *de success. creat.* §. 18. *n.* 280. Besoldus *in delibat. juris ex l.* 1. *Pandectarum*, §. 14. *fol.* 103. Albericus Gentilis *l.* 2. *lect. c.* 11. Borrellus *t.* 1. *decisionum*, *tit. de legibus*, *n.* 47. Castillo *l.* 4. *controversiarum*, *c.* 6. *n.* 88. Valeron. *de trans. l.* 1. *n.* 12. Solorzanus *t.* 2. *l.* 3. *de jure Indiarum*, *c.* 9. *n.* 51. Schonbornerius *l.* 3. *Polit. c.* 6. Hunnius *in Enchelop. tit. de legibus*, *c.* 4. D. Joan. Bapt. de Larrea *t.* 1. *dec. Granat. disp.* 11. Cujacius *in d. l. unica*, §. *ult. C. de caducis toll.* Dreckerus *dissert.* 2. *l.* 1. *nu.* 19. Heringius *de fidejussoribus*, *c.* 6. *num.* 226. Nathen. *in justitia vulnor. tit.* 10. *c.* 9.

9 Impugnatur traditia assertio.

Sed in præsentem assertionem pro ratione dubitandi ita insurgo. Constitutio nihil aliud est quam dictamen rationis, *c. consuetudo*, 1. *dist.* D. Thom. 2. 2. *q.* 31. *art.* 6. Sed eodem dictamine rationis adduci debet Legislator ad corrigenda præterita, quam futura mala, cum corrigendum sit, quidquid illicite admittitur, aut a prædecessoribus admissum reperitur, *c. quod quis commisit*, *c. grave* 35. *qu.* 9. Ergo constitutiones non minus præterita, quam futura respicere debent. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo; nam privilegium privata lex est, *c. Abbate*, *de verb. signif.* Sed certi juris est, privilegium præterita quoque respicere, *c. ad audientiam*, *de Ecclesiis ædificandis*: similiter & rescripta ad præterita extenduntur, *c. ex literis*, *c. ult. de rescriptis*; & etiam sententiæ dicuntur particulares leges, *c.* 2. §. *statuto*, *de constitutionibus*, *lib.* 6. Desiderius Heraldus *de auctoritate rei judicatæ*, *l.* 1. *c.* 1. & 6. Sed certum est sententiam præ-

præterita respicere, *c.* 2. *de re judicata*, *l. dicere* 27. *ff. de arbitris*. Igitur leges etiam ad præterita extendi debent. Secundo in eam partem, in qua asseritur ex nostro capite finali, leges ad præterita extendi, si id a Legislatoribus expresse caveatur, ita argumentamur: Constitutio est regula actus, & ideo canon appellatur, *c. canon*, *dist.* 1. *c. regula*, 3. *dist.* Sed materia alicujus regulæ non est effectus jam præteritus, juxta illud vulgare, *Ad præteritum non datur potentia*, ut dicitur *in c. Paulus*, 32. *q.* 5. Ergo nunquam constitutio potest habere pro materia actum præteritum.

10 De promulgatione legis.

Adhuc tamen defendenda est prædicta assertio, ad cujus expositionem aliqua prælibanda duxi. Et primo sciendum est, de ratione cujuscumque legis esse ejus promulgationem & publicationem; nam cum sit commune præceptum, & communis regula vivendi, debet omnibus patefieri, ut secundum eam actiones suas dirigant, *c. erit autem*, *c. in istis*, §. *leges*, *dist.* 4. *l. finali*. *C. de decretis ab ordine faciendis*, *l. leges* 9. *C. de legibus*, Garcia *de beneficiis*, *p.* 5. *c.* 8. *n.* 14. Gratianus *dec.* 200. *num.* 10. Borellus *d. tit.* 13. *de legibus*, *n.* 22. Suarez *de legibus*, *l.* 1. *c.* 11. & *l.* 4. *c.* 14. Salas *eodem tr. disp.* 1. *sect.* 10. & *disp.* 12. *per totum*, Angujanus *de legibus*, *l.* 4. *c.* 1. Morla *eodem tr. in emporio*, *qu.* 5. Diana *p.* 1. *tr.* 10. *res.* 8. & 9. Petrus Marcha *l.* 2. *concordiæ*, *c.* 15. Martinez a Prado *t.* 1. *Theologia Mor. c.* 3. *q.* 5. §. 1. & 2. Gibalinus *t.* 2. *scientia canon l.* 7. *c.* 1. Unde non sufficit ab habente potestatem legem sapienter esse statutam & scriptam, sed ut illos, quibus lata est, obliget, desideratur promulgatio, *c. cum infirmitas*, *de pœnit.* Trid. *sess.* 24. *de refor. c.* 1. Novella 66. Justiniani, *c.* 1. §. 1. Nec contrarium docet Innoc. III. *in c.* 1. *de postul. Prælat.* in illis verbis: *Necessarium sit*, *cum constitutio solemniter editur*, *aut publice promulgatur*, *ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum*, *vel litteras inculcare*. Ergo non semper, & in omni lege promulgatio desideratur; nam dictio illa, *aut*, in eo textu accipitur pro &, ut in nonnullis codicibus legitur; accipiturque expositive pro *seu*, ut denotet ad legis essentiam, & necessitatem illi parendi desiderari, quod solemniter edatur, seu publice promulgetur: quo modo etiam eadem dictio accipitur *in l. si servus*, juncta glossa 1. *ff. de rebus auctoritate judicis*, & aliis congestis a Barbosa *de dictionibus*, *dictione* 46. docet Germonius *l.* 1. *animadversionum*, *c.* 3.

11 De eadem promulgatione ex jure civili.

Apud Romanos priusquam leges conditæ vim obligandi sortirentur priscis temporibus, populus centuriatis comitiis, consulto prius Senatu, rogabatur, vellentne legem sibi propositam excipere, & postea lex illa scripta trinis nundinis pro rostris proponebatur, ut si alicui injusta videretur, eam improbaret: & hanc publicam legis editionem, promulgationem veteres appellarunt, ut testatur Macrobius *l.* 1. *Saturnalium*, *c.* 16. & constat ex Cicerone *Philippica* 5. & *in oratione pro Flacco*: ex quo, & aliis probarunt Connanus *l.* 1. *comment. cap.* 13. P. Azor. *t.* 1. *institutionum*, *l.* 5. *c.* 3. *q.* 1. Et postquam populus omne imperium & potestatem in Principem transtulit, hæc promulgationis forma penitus abolevit; unde mos in usu esse cœpit leges, edictaque per populos & Provincias omnes Judicum programmatibus publicare, & Præfectorum cura in celeberrimis locis proponi, *novella* 48. *Justiniani*, observat Cujacius *l.* 19. *qu. Papin. in l. juris* 7. *ff. de juris & facti ignor.* Edictalem legem Constantini in foro Trajani fuisse propositam constat ex subscriptionibus, *l.* 2. *C. Theodos. de petit. & impetrat. sublat.* *l.* 1. *C. de officio Magist. offic. l.* 2. *eodem C. de jure fisci*. Proposita etiam fuit in foro Trajani novella Theodosii de testamentis, & novella 8. ejusdem, & Valentin. *de præscriptione triginta annorum*: sicut Romæ in Atrio Minervæ constitutio Valent. Theodosii, & Arcadii, relata *in l.* 5. *C. Theodos. ad legem Jul. de adult.* & aliæ eorumdem Imperatorum apud P. Pitheum *in collat. leg. Mosaic.* §. *ult.* & in Bibliotheca Regis Galliæ antiquæ legis fragmentum vetus in ære incisæ se vidisse testatur Cujacius *l.* 7. *observ. c.* 29. his verbis: *Apud forum palam*, *unde de plano recte legi possit*, *præscriptam habuerint*. Quam formulam fuisse edictorum comprobat Ausonius *in gratiarum actione*, dicens: *Has ergo litteras tuas in omnibus pilis atque porticibus*, *unde de plano legi possint*, *instar edicti pendere mandavero*. Et Josephus *l.* 19. *antiquitatum*, *c.* 4. idem expresse testatur de edicto Tiberii Claudii Cæsaris. Edicta ad populum Romanum emissa Præfectus Urbis vulgare debebat, *novella* 48. *Justin. novella* 25. *Theodos. & Valent.* Aliquando tamen magister utriusque militiæ, *novella* 40. & 45. necnon Judices per omnes populos, *l.* 3. *C. de legibus*. Qua de caussa in Metropolibus edicta, decretaque Principum proponebantur, ut facilius omnibus innotescerent, *novella* 17. & 66. *l. quidam* 63. *Cod. Theodos. de Decur.* & si in Metropolibus dabantur, in principaliioribus earum urbibus proponebantur, *l. quisque* 11. *C. Theodos. de tyronibus*, *l.* 54. *C. Theodos. de Decur.* *l.* 1. *C. Theodos. de gladiator.* unde restituenda est subscriptio legis decimæ *C. de Cursu publico*, ex lege 41. *C. Theodos. eodem*. Hac ratione puto quod edicta Tituli vocantur apud Metellum *in Quirinalibus*, his versibus:

Interea Tirannus
Dat titulos per orbem
Absque responso, *sine juris ratione captos*:
Ne mora salvet ullum,
Istud edictum procul evulgat.

Licet hanc etiam promulgationis formulam non solum edictis, verum etiam constitutionibus designatam videamus aliquando, ut apud Plinium *l.* 34. *c.* 4. ubi ait: *Usus ad perpetuitatem monumentorum jam pridem translatus est tabulis æreis*, *in quibus publicæ constitutiones inciduntur*. Huc pertinet, quod Imperatores rescribunt *in l.* 2. *C. Theodos. de constit. Princip.* ipsos non permittere quemquam constitutiones Principum ignorare, aut diffi-

12 A quo tempore lex obliget.

Sed licet promulgatio legis necessaria sit ex ejus natura, non tamen desideratur, ut omnibus singulis denuntietur, aut nota fiat, *c.* 1. *de postul. Prælat.* alias nullus unquam lege teneretur, etiamsi sciret illam esse latam & promulgatam, cum semper dentur aliqui illam invincibiliter ignorantes. Sufficit ergo promulgationem legis fieri in Curia Principis, vel Pontificis, ut expresse decrevit Pius IV. circa tempus obligationis Concilii Trid. dum ait Tridentinum omnes obligare post tres menses publicationis factæ in Curia: nisi expresse a Principe cautum fit, ut per singulas Provincias promulgetur, ut *in d. c. Cum infirmitas*, Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 1. & si lex fit Episcopi, vel alicujus Prælati unam solam Provinciam subjectam habentis, sufficit publicationem in illa factam fuisse, nec desideratur in singulis locis Provinciæ publicari. Sotus *de justit. l.* 1. *qu.* 1. *art.* 4. aliis relatis Sayrus *in Clavi Regia*, *l.* 3. *c.* 3. *n.* 7. Nec statim a die promulgationis incipit constitutio obligare, imo regulariter desideratur lapsus duorum mensium a die promulgationis, *c.* 2. & *ult. ne clerici vel monachi*, *c. novarii*, *de sent. excommun. c.* 1. *de concessione prebendæ*, *in* 6. *novella* 66. *Justiniani*, *c.* 1. Ex quibus juribus hanc regulam deducunt plures congesti a D. Vela *t.* 2. *dissertationum*, *c.* 45. sed puto male hoc tempus ex legislatoris arbitrio pendeat; nam in novella 58. Justiniani non duo, sed tres menses assignantur; aliquando solum triginta dies, ut *in novella* 116. *c.* 1. Et si prædicta regula admittatur, non procedet, nisi in ipsa constitutione exprimatur tempus ad obligandum, ut *in c. singulæ*, *de prebendis in* 6. extravaganti *Execrabilis*, *eodem tit.* Trid. *sess.* 7. *de reform. c.* 2. vel nisi ita concipiatur lex, ut statim effectus sortiatur, ut si adjiciatur clausula *Ex nunc*, Clementina 2. *de hæreticis*, ut observabatur apud Athenienses, apud quos ex lege, quam refert Demosthenes *in Timocr.* a die quo ferebatur lex, obligabat. Lex autem erat. *Leges quæ scriptæ sunt*, *& in posterum feruntur*, *ratæ sunto ab ea die*, *qua unaquaque earum lata est*, *præterquam si cui adscriptum est tempus*, *in quo debet incipere*. Quam erudite illustrat Samuel Petitus *ad jus Atticum*, *l.* 2. *tit.* 1. Aliquando etiam longior terminus a legislatore præscribitur, ut in casibus congestis a Sayro *in clavi regia*, *l.* 3. *c.* 5. Farin. *in fragmentis crimin. verbo Constitutio*, *n.* 656. Diana *p.* 1. *tr.* 10. *res.* 8. & 9. Unde obiter infertur, minime peccare non obtemperantem legi humanæ ante promulgationem, etiamsi Legislator intendat obligare statim: post promulgationem autem etiam ante lapsum duorum mensium, ex probabiliori opinione, qui scit legis promulgationem, tenetur in conscientia ad ejus observationem, *c.* 1. *de postul. Prel.* tempus enim duorum mensium datur ignorantibus, & ignorantes ante illius lapsum non obligat, nisi in ea apponatur clausula irritans; nam ejus clausulæ natura est ligare etiam ignorantes, quoad nullitatem actus, non quoad pœnam, *c. si eo tempore*, *de electione*, *l.* 6. *c.* 1. *de concessione prebendæ*, *eodem l.* resolvit Barbosa *in nostro c.* 2. *n.* 8.

13 De præterito, & futuro.

Secundo sciendum est, negotia alia præterita dici, alia pendentia, & alia futura. Præterita dicuntur, quæ transierunt, & fluxerunt; unde tempus præteritum pro elapso ponitur, *l.* 1. *veluti* 27. §. *ult. l. eum qui* 41. *ff. de verb. oblig. l. Autzus* 14. *ff. de aqua pluvia*, *l. si ita fuerit* 41. *ff. de manumissis testamento*, *l.* 2. *ff. de bonis libertorum*, *l.* 1. §. *item si quis*, *ff. de juris & facti ignorantia*, *l.* 1. §. *si pensio*, *ff. de migrando*, notat Albericus Gentilis *de diversis temporum appellationibus*, *c.* 13. Pendentia sunt, quæ adhuc stant, & in suspenso sunt, itaut nec dici possint præterita, nec futura. Cicero *in paradoxis*, ubi ait: *Cui spes omnis*, *& cogitatio pendet ex fortuna*, *huic nihil potest esse certi*. Unde pendere fructus dicuntur, quamdiu solo cohærent, nec separati sunt, *l. fructus*, *ff. de rei vendic. l. & quæ nondum*, *ff. de pignoribus*. Pendens vindemia, idest nondum lecta, *l. qui pendentem*, *ff. de act. empti*. Opera pendentia, apud Virgilium *lib.* 6. *Æneidos*: ibi: *Pendent opera interrupta*, *minæque*. Plura Brissonius *de verb. signif. verb. Pendere*. Unde pendentia negotia dicimus, quæ adhuc pacto, transactione, vel sententia non sunt finita. Bartolus *in l. omnes* 5. *nu.* 50. *ff. de justit. & jure*. Futura nuncupantur, quæ nondum evenerunt, *l.* 1. *ff. de novi operis nuntiat.* Hinc futura alimenta, quæ adhuc non sunt consumpta, *l. de alimentis*, *C. de trans.* futurus vir, seu maritus, qui nondum contraxit matrimonium, *l.* 7. §. 1. *ff. de jure dotium*, *l.* 2. *C. de donationibus inter*: futurus heres, qui nondum adivit hereditatem, *lib. si servus* 18. *ff. de stipul. servorum*: casus futurus, qui tantum speratur, *lib.* 1. §. *si magistratus*, *ff. de Magistratibus conveniendis*: semper tamen futura

opponuntur præteritis, *l. verbum* 23. *ff. de verb. sign. l. redhibere* 22. *ff. de edilitio edicto*. Matrimonia futura opponuntur jam contractis, *l. Titia* 143. *ff. de verborum oblig.* & in hoc sensu præterita & futura accipiuntur in nostro textu.

14 In lege attenditur mens legislatoris,

Tertio præmittendum est, quod sicut in quolibet actu mens agentis primum locum obtinet, *l.* 1. §. *si conveniat*, *ff. depositi*, *l. in conditionibus*, *ff. de condit. & demonstr.* ita legislatorum mens in legibus, seu constitutionibus est inspicienda, *l. scire* 13. §. *aliud*, *ff. de excusationibus tutorum*. Unde scire leges, non est verba earum tenere, sed vim & mentem, *l. scire* 17. *ff. de legibus*, *l. penult. ff. ad exhibendum*; mens enim legislatoris est anima legis, & lex essentialiter in suo esse pendet ab intentione legislatoris, *l. non dubium*, *C. de legibus*; unde dicitur in legem peccare, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem: mens autem legislatoris circa duo considerari potest. Primo, quod velit legem ferre, & per illam subditos obligare. Secundo, quod velit eos obligare ad hoc, vel illud, juxta hunc vel illum modum. Primum commune est omni constitutioni; secundum non ita, nisi determinetur in ipsa: proprie enim consistit in voluntate legislatoris de tali actu a subditis exhibendo. Ita & hæc dicitur propriæ mens legislatoris, quia illa est, quæ immediate insinuatur per talia verba. Atque hoc docent textus, dum dicunt, legem non obligare, nisi secundum mentem legislatoris, *c. si postquam*, *de elect. in* 6. *l. cum mulier*, *ff. soluto matrim.* explicat Suarez *d. l.* 3. *c.* 20.

15 Traditur ratio decidendi,

Quibus ita prælibatis, ratio nostræ conclusionis ex eo provenit; nam cum leges non obligent ignorantes, nec ante promulgationem, sed tantum transacto bimestri, perquam iniquum esset, si constitutione nova ejus rei periculum quis incurreret, quod ante præcavere non poterat. Quid enim peccavit antiquitas, quæ novæ constitutionis inscia pristinam sequuta est observationem? Unde Cicero 3. *in Verrem*, ipsum reprehendit, quod edicto suo præteritum tempus comprehendisset his verbis, *fecerit*, *fecit*: & Aulus Gellius *l.* 17. *noctium*, *c.* 17. increpat Scævolam, & Nigirium existimantes verba legis Attiniæ referri ad præteritas res furtivas: notavit Ruger. *l.* 3. *variar. pag.* 263. Turbarentur enim omnia, si quis lege nondum lata ligaretur. Plinius *l.* 10. *epist.* 116. ibi; *Mihi hoc temperamentum ejus placuit, ut ex præterito nihil novaremus, si in futurum lex Pompeja observaretur: cujus vim si retro quoque velimus custodire, multa necesse esset perturbari*. Favet Cato Uticensis relatus a Gothofredo *in d. l.* 3. his verbis: *Neque enim definiri facile potest, quousque extendere se debent in præterita inquisitio: & si novæ statuantur ante commissorum pœnæ, fore ut inique cum his agatur, qui puntientur ex lege, quam non violaverunt, nec ex parte læserunt*. Accedit, nam legislator sua constitutione nunquam intendit alteri præjudicium inferre, *c. super eo* 15. *de offic. deleg. l.* 2. §. *merito*, *ff. ne quid in loco publ.* Sed si constitutio nova ad præterita extenderetur, præjudicium contrahentibus fieret; siquidem contractus legitime celebrati irritarentur, innocentes punirentur, & alia incommoda sequerentur, *d. c.* 2. *hoc tit.* qui enim ante constitutionem aliquid gesserunt, justam ignorantiæ causam habuerunt; cum divinare non poterant, quid statuendum esset, *l. jubemus* 29. *Cod. de testam.* argumento textus *in c. unico*, *ut Ecclesiastica beneficia*. Quod enim nondum est in rerum natura, sciri nequit, *c. bona* 1. *de eleet. c. ad dissolvendum*, *de desponsat. impuberum*: Quod si in præteritum leges ferre liceret, non providenter, sed calumniose Princeps ageret, ut occultis in futurum laqueis insontes irreteret; hocque ostendunt verba illa legis 3. Codicis Theodosiani de constitutionibus Principum: *Non præteritis calumniam faciunt*; & optime in legibus Vvisigothorum, *l.* 1. *tit.* 2. *lib.* 4. statuitur: *Lex erit manifesta, nequaquam in captionem civium devocabit*. Accedit etiam, nam quælibet constitutio ponitur ut regula humanorum actuum, statuens novam regulam, *c. regula*, 3. *dist. c. erit*, 4. *dist.* Ergo ex natura sua lex fertur pro actibus futuris, quia præteriti nec indigent regula, nec ejus capaces sunt. Confirmatur etiam hæc ratio; nam lex præceptum est, ut vulgo fatemur: sed præceptum non potest dari de re præterita: ergo constitutio respicere non potest præterita. Juste igitur in præsenti capite secundo deciditur, constitutiones futura, non præterita respicere; sed cum in constitutionibus totum faciat voluntas legislatoris, si ipse ad præterita constitutionem extendi velit, præterita etiam constitutio respiciet, cum constitutio vires capiat a potestate constituentis, *c. nobis* 1. *de sent. excom.* docent Vivianus, & Uranius *in d. c. fin.* An autem inferiores legislatores possint etiam leges ad præterita extendere, late examinat Angujanus *l.* 5. *de legibus*, *c.* 4.

16 Dissolvitur dubitandi ratio,

Nec obstat jam dubitandi ratio supra adducta, ex qua dicebamus legem esse dictamen rationis, & sic præterita etiam respicere debere: nam illa ratio tantum concludit, legem posse ex justa causa pro præteritis ferri, quod nos non negamus; sed tantum asserimus, legem indefinite promulgatam ad præterita non referri. Nec primum argumentum deductum ex æquiparatione legis, & privilegii refragatur; licet enim privilegium sit privata lex, & conveniat cum ipsa, non solum quia ille, qui potest condere legem, potest concedere privilegium, *l.* 1. §. *plane*, *ff. de constit. Principum*, *l. jus singulare*, *ff. de legibus*; verum quia privilegium etiam sicut lex, futura respicit: nec contrarium evincitur ex dicto cap. *ad audientiam*; nam si recte perpendatur, tantum probat debere prius considerari jus commune quam privilegium, nec debere privilegium ad præterita concedi; non tamen negat posse indulgeri in præteritum. Nec etiam argumentum deductum a sententia aliquid probat; nam natura sententiæ est finem præteritis controversiis imponere, *l. dicere*, *ff. de receptis arb.* & sententia non est lex, nec legem introducit, sed tantum jus facit inter eos, qui in judicio contenderunt, *c. cum inter* 13. *de re judicata*, *l. ult. in princ. C. de legibus*, Maranta *in Speculo*, 6. *par. tit. de sent. n.* 129. lex enim pro communitate fertur, sententia, particulari negotio finem imponit. Unde recte ajebat Cicero: *Judex statuit de præteritis, lex de futuris*; licet aliquando ad futura judicia trahatur, *l. Aurasus*, §. *ult. ff. de aqua pluvia arc.* notavit Cujacius *ad titulum C. de judiciis*, *in princ.* Tandem non obstat ultima difficultas; nam licet constitutiones ad præterita respicientes non possint habere plenam rationem regulæ respectu actuum practicorum, tamen negari non potest, quin effectus eorum irritando possint regulare præteritas actiones, non quoad ipsas, sed quoad effectus earum, qui adhuc subsunt jurisdictioni legislatoris.

17 Exponitur c. cum tu, de usur.

Verum superiori assertioni opponitur textus *cap. cum tu*, *de usur.* ubi refertur, quod cum in Concilio Lateranensi, celebrato sub Alexandro III. statutum esset, ut usurarii manifesti communione Ecclesiastica privarentur, & usuras restituere compellerentur, Archiepiscopus Salernitanus usurarios sui Archiepiscopatus communione Ecclesiastica privavit, donec usuras restituerent. Ipsi vero ab earum restitutione excusari intendebant, eo quod illa Concilii constitutio futuros usurarios tantum respiciebat, præteritos vero nullo modo damnabat. Super iis, & aliis, quæ in textu recensentur, dictus Archiepiscopus consuluit Alexandrum III. qui decrevit, quod sive ante constitutionem, sive post usurarii usuras extorserint, cogendi sunt eas restituere. Ex qua decisione expresse deducitur, constitutionem non solum futura, verum & præterita respicere: cui difficultati communiter Interpretes in præsenti satisfaciunt asserendo, quod quando lex nova nititur jure divino, aut naturali, tunc ad præterita extenditur; quare cum usura sit prohibita jure divino, *c.* 25. *Levitici*, *c.* 23. *Deuter. c.* 19. *D. Matthæi*; & naturali, pecunia enim natura sua sterilis est, nec generat pecuniam, *c. sicut* 8. 47. *dist. c. plerique* 14. *q.* 3. D. Th. 2. 2. *q.* 28. *art.* 1. ideo in eo textu lex etiam præterita respicit: Ita Hostiensis, Butrius, Berojus *in nostro c.* 2. pro quibus etiam facit, quod cum legis naturalis, aut divinæ nulla promulgatio defideretur, Suarez *de legibus l.* 2. *c.* 1. *nu.* 8. mentibus enim hominum, dum primum veniunt ad usum rationis, inscribitur lex naturalis, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 9. *art.* 4. *ad primum*: Ergo lex usuram prohibens, etiam ante Conc. Lateranense obligabat. Sed licet hæc doctrina vera sit, decisioni textus *in dicto c. cum tu*, non adaptatur; nam licet constitutio illa protrahereturad præterita, quia consona erat juri naturali, aut divino, quoad prohibitionem; si tamen pœnæ noviter statuantur, quoad pœnas constitutio non extenditur ad præterita, *c. quoniam*, 47. *dist. c. quoniam*, *de simonia*, *c. cum singula* 32. *vers. circa eos*, *de electione l.* 6. Concilio Valentino I. *can.* 1. post Menochium, & Covar. docet Morla *in emporio*, *titulo de legibus*, *qu.* 6. *nu.* 11. Ergo in eo textu quoad pœnam privationis communionis constitutio non debebat ad præterita extendi. Hac solutione omissa, dicendum est *in dictos. cum tu*, constitutionem Concilii Lateranensis extendi ad præterita, quoad prohibitionem usurarum, ex eo, quia juri naturali, & divino consentanea erat; quoad pœnam vero privationis communionis extendi, quia indurato, & pertinaci animo usurarii perstebant in retentione usurarum, absque eo quod eas restituerent; & cum non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum, regula *peccatum*, *de regulis jur. l.* 6. ideo novis etiam plectebantur pœnis, exemplo furis, qui rem furtivam non restituit, sed de loco in locum defert: potest enim ubicumque puniri, *l.* 1. *C. ubi de criminibus*, *c.* 1. *de raptoribus*; quia idem est scienter rem injustam detinere, ac eam invadere, *c. sæpe*, *de restitutione spoliatorum*. Inde in eo textu usurarii antiqui ratione retentionis, & novæ contrectationis possunt novis pœnis puniri. Morla *ubi supra*, *q.* 6.

18 Explicatur clement. 2. de ætat. & qual.

Secundo objici solet textus *in Clementina* 2. *de ætate & qualitate*: ubi a Patribus Concilii Viennensis statuitur, ut de cetero, tam in Ecclesiis sæcularibus, quam regularibus, nemo deinceps suffragium in Capitulo haberet, nisi saltem in subdiaconatus gradu fuisset constitutus; quo decreto etiam asseritur comprehendi eos, qui antea in Canonicos erant recepti, vel dignitatem fuerant consequuti. Igitur constitutio respicit tam futura, quam præterita. Huic difficultati ut satisfaciant Doctores, aiserunt constitutionem disponentem aliquid circa executionem, seu perfectionem alicujus actus, qui non potest exequi sine præjudicio præteritorum, ad præterita extendi: quæ solutio refellitur ab Imola, & Decio *in nostro c. ultimo*, Augujano *l.* 5. *de legibus*, *c.* 5. quem transcripsit Barbosa *t.* 6. *in nostroc.* 2. & convincitur ex textu *in c. ult. de electione in* 6. ubi constitutio agens de executione futuri actus, non extenditur ad præteritos: quare ea solutione omissa, verius asserendum est, textum illum ex eo extendi ad præterita, quia expressum fuit in ipsa constitutione, & nominatim cautum per illa verba: *Sunt mancipati, vel mancipabuntur in posterum*. Quo in casu ex supra dictis constitutio respicit præterita & futura: quo modo intelliguntur textus *in c. cum in cunctis*, §. *inferiora*, *de electione*, *c. si quidam* 10. *q.* 1. *c. ad audientiam*, *de rescriptis*, *c.* 1. *de consuetudine*, *lib.* 6. *c. penult. in fine*, *de officio Delegati*, *eod. lib. l. unica C. eod. de contractibus judicum*, *l. finali*, *C. de pactis pignorum*, *l. unica*, *C. Theodos. de commis. rescind. l.* 3. *in fine*, *eodem C. de incertis nuptiis*, *l.* 1. *ad Claud. l.* 1. *de act. certo temp. lib.* 4. *de bonis vacant. l.* 7. & 17. *de hæreticis*, *l.* 5. *de can. frum. Urb. Rom. in Theodos. Clem. unica de probat. Clem. unica de immunit. Ecclesiarum*.

19 Exponitur c. quoniam de simonia.

Tertio everti videtur dicta conclusio *ex c. quoniam* 40. *de simonia*, ubi proponitur, temporibus Innocentii III. simoniæ labem adeo

adeo in plerisque Monasteriis invaluisse, ut nullo modo Moniales admitterentur ad religionem, nisi magno pretio præstito; quem abusum ut corrigeret Innocentius, statuit, ne de cetero pro ingressu religionis Moniales aliquid reciperent; & si recepissent, tam admittentes, quam admissæ ex ipso Monasterio pellerentur, & in arctius Monasterium pœnitentiæ peragendæ caussa detruderentur. Prosequitur Pontifex, & agit de his, quæ ante illam constitutionem receptæ, & professæ erant: & respondit ipse Pontifex, eas removendas esse, & in aliis ejusdem ordinis Monasteriis detrudendas. Ex quo textu facile depromitur, constitutionem novam non solum futura, verum etiam præterita respicere; siquidem ea Innocentii constitutione ligantur Moniales, quæ antea erant professæ. Huic difficultati ut satisfaciam, suppono legem declarativam legis antiquæ comprehendere non tantum futura, sed etiam præterita: *authentica de filiis ante dotalia instrumenta natis*, *collatione* 3. *l. fin. C. de pagis*, *l. fin. C. de transactionibus*, *l. penult. Cod. de usuris*, *Clement.* 1. *eodem titulo*, *Clementina* 2. *de judiciis*; nam lex declarativa, seu interpretativa, non est regula actionis, sed supponit, & interpretatur illam. Ergo antea erat lex inducens obligationem, & sic nova veterem declarando nihil denuo statuit, *l. heredes* 21. §. 1. *ff. qui testamenta*, authentica de raptoribus mulierum, ibi: *Tamquam si lex nostra ab initio cum tali interpretatione promulgata fuisses*. Unde cum *indicto c. quoniam*, declaretur jus antiquum prohibens aliquid recipere pro ingressu religionis, *c. non satis* 8. *c. de regularibus* 25. *de simonia*; mirum non est, si extendatur ad præterita: si tamen in lege declarante, aut interpretante jus antiquum, sint verba, quibus restringatur ad futura, tantum in illis locum habebit: quo modo intelligendi sunt textus *in c. aqua*, *de consecratione Ecclesia*, *c.* 3. *de institutionibus*, *c. cum Magistratus*, *de electione*, *c. fin. de sponsa duorum*, *c. unico*, *de postulat. Prælatorum*, *l.* 6. *c. licet canon*, *de electione*, *eodem l. c. unico*, *in fine*, *de clericis non residentibus*, *eod. l.* Clementina 1. ubi Glossa *verbo De cetero*, de usuris, juncto Angujano *dicto c.* 5. Pro coronide hujus commentarii sciendum est, constitutionem noviter editam respicere negotia pendentia, & juxta illam, non juxta veterem esse decidenda, *c. ult. de offic. Leg. in* 6. *l.* 7. *de legit. hered. in Theodos. l. un. de bonis cleric. in eod. C. l.* 6, *unde vi*, *C. eod.* nisi lis pendeat, quia per appellationem sententia suspensa est; tunc enim juxta veterem legem caussa definienda est, *authent. ut cum*, *de appellat. in princip.* late prosequuntur Germonius *d. c.* 2. Cujacius *in l. un.* §. *ult. C. de caduc. toll.* Donellus *l.* 1. *comment. c.* 5. ubi Osualdus *lit. F*, Franciscus Valens *t.* 2. *concordiæ*, *folio* 176. *in præsenti*.

---

a CAPUT III.

b Augustinus *super illud Apostoli ad Hebræos*.

TRanslato Sacerdotio necesse est ut Legis translatio fiat. *c* Quia enim simul, & ab eodem, & sub eadem *d* sponsione utraque data sunt, quod de uno dicitur, necesse est ut de altero intelligatur.

NOTÆ.

1 a *Apud tertium*.) Cum in prima collectione Decretalium tertio loco compilaretur textus *in c. venit*, qui extat apud Gratianum *in c. pervenit*, *de consecr. dist.* 3. & post eum præsens textus statim apponeretur, Raymundus hujus sextæ collectionis auctor, ejus textus rationem non habuit. Tum quia apud Gratianum reperiebatur: tum quia in præsenti brevius eadem doctrina statueretur. Unde constat in præsenti textu agi de abrogatione legis veteris per legem Gratiæ, ut facile ex textu antecedenti, videlicet dicto capite *pervenit*, colligitur: non vero Augustinus, seu quivis auctor ejus est, tractat de potestate legislativa, quæ extat penes Pontificem, ut omnes repetentes hic supponunt & exponunt. Aperte enim ex infra dicendis apparebit, in præsenti textu tam Apostolum quam ejus scholiasten docere Catholicos jam non esse sub lege Mosaica, sed vivere sub lege Gratiæ. Miror tamen hoc a nemine ex repetentibus fuisse animadversum.

2 b *Augustinus*,) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 4. non tamen reperiuntur verba hujus textus inter opera D. Augustini, sed tantum inveniuntur in Glossa ordinaria *ad c.* 7. *D. Pauli ad Hebræos*. Priora autem verba sunt ipsius Apostoli *d. c.* 7. ubi agit de excellentia Sacerdotii Christi, & quomodo abrogatum est Sacerdotium Leviticum per Sacerdotium Christi; atque necessario abrogari debuit lex vetus Moysis simul cum Sacerdotio data. Cujus connexionis, seu consequentiæ rationes varias assignant Sancti Patres, & Expositores in eo textu. Prima, quia Sacerdotium fuit proportionatum legi, & cum ea indissolubiliter connexum; non enim potest esse Sacerdotium sine certis & congruentibus legibus ac cæremoniis: ita docuerunt Chrysostomus, Theodoretus, & Theophylactus, quos refert Cornel. a Lapide ibi, *n.* 46. Secunda, quia lex illa erat sub administratione Sacerdotii, cum apud Judæos summus Sacerdos habuisset potestatem ferendi leges, *Exodi c.* 18. *versic.* 13. Igitur mutato Sacerdotio, necesse erat, ut lex mutaretur. Quam illustrat D. Thomas *lect.* 3. *in d. c.* 7. Tertia, quia translato Sacerdotio de una tribu ad aliam, necesse erat legem transferri, quia dum lex manebat, nullo modo Sacerdotium mutari poterat de tribu Levi, ut probat Ribera *in d. c.* 7. *n.* 42.

3 c *Quia*.) Verba quæ sequuntur, sunt Glossæ ordinariæ exponentis sententiam Apostoli, quæ ait: *Quia enim simul, & ab eodem, sub eadem sponsione utraque data sunt*; videlicet lex, & sacerdotium: in monte enim Sinai populus legem accepit, & pariter sacerdotium. Siquidem in eo constitutus est a Deo Sacerdos Aaron: unde ex hac connexione legis, & sacerdotii infert Apostolus, facta translatione Sacerdotii, necessario & legis translationem fieri debuisse. Et si dicas, prius datam fuisse legem, quam institueretur Sacerdotium, siquidem lex data est Moysi in Monte Sinai, *Exodi c.* 20. sacerdotium vero postea institutum fuit, *Exodi c.* 28. Respondeo Glossam appellasse legem non tantum ea præcepta, quæ ante Sacerdotii institutionem tradita sunt, sed quidquid Moyses illis quinque libris comprehendit, quos Hebræi legem vocabant; multa enim Dominus præcepit seorsim, quæ ad legem etiam spectabant: docet Ribera *in d. c.* 7. *D. Pauli ad Hebræos*.

4 d *Sponsione*) Id est promissione; licet enim sponsio aliquando accipiatur pro pignore deposito a certantibus, ut cui ex illis vicerit, tradatur, *l.* 3. *l. penult. ff. de aleator. l. si rem* 19. §. *ult. ff. de præscript. verbis*, Sallust. *in Jugurtha*, ubi inquit: *Per induciæ responsionem faciunt, uti certo die Legati domo profiscerentur: quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur*. Macrob. *l.* 3. *Saturn. c.* 17. *Nec moratos sponsione contendit*. Quæ sponsio in spectaculis valde usitabatur. Tertull. *de spectac. c.* 16. *Aspice populum ad id spectaculum jam cum furore venientem, jam tumultuosum, jam cæcum, jam desponsionibus concitatum*. Cassiodor. *l.* 3. *var. c.* 51. *Et ad inanes contentiones sic descenditur, tamquam de statu periclitantis patriæ laboretur*. Illustrant Baleng. *de Circo*, *c.* 48. Petrus Pitheus *l.* 1. *adversus c.* 18. Pantoxa *in d. l.* 3. *de aleator. n.* 9. Etiam hæc sponsio in judiciis Romæ olim usitabatur: nam a litigatoribus se invicem provocantibus in æde sacra certa pecunia deponebatur ea lege, ut qui non ex bona fide ageret, aut inficiaretur, aut fugeret, ea pecunia mulctaretur. De qua sponsione accipiendus est textus *in l.* 1. §. *proinde* 5. *ff. de extraord. cognit.* ut observarunt Pitheus *d. c.* 18. Cujacius *in l. peto* 69. *ff. de legat.* 2. Germon. *l.* 3. *de sacror. immunit. c. fin. n.* 26. Vasconcellos *ad tit. de Sacram. non iter.* Pancirola *l.* 1. *variar. c.* 34. David Argenter. *de interdictis*, *in primo*. In hoc textu vero accipitur pro promissione a Deo facta fine ulla interrogatione; nam licet regulariter sponsio supponat stipulationem, *l. un. C. de suffrag. l.* 7. *C. comm. utriusq.* unde ex sponsione agere, est ex stipulatu, *l. sponsio* 7. *ff. de verb. sign. l. sciendum* 19. §. *dictum*, *ff. de edil. edicto*, *l. si super* 9. *C. de tradition.* plura Jacobus Gothofredus *in l. si Barbatorem* 18. *C. de fidejuss.* tamen aliquando promissionem tantum continet. Brissonius *de verb. sign. verb. Sponsio*. Unde cum Dominus tempore, quo sacerdotium, & legem populo dedisset, illi promisisset, ut si mandata in corde suo servaret, in terram promissam eum introduceret, hanc promissionem Glossa ordinaria sponsionem appellat, nisi Glossam accipiamus de promissione illa, quam populus fecit servandi legem a Deo datam *Exodi c.* 24. *vers.* 3. *Respondiqueque omnis populus una voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus*. Et recte Glossa sponsionem dixit, juxta morem antiquum rogandi, & promulgandi legem a populo. Per stipulationem enim apud Romanos lex ferebatur, ut constat *ex* §. *lex*, *Institut. de jure naturali*, ibi: *Senatorio Magistratu interrogante*. A Gellius *l.* 10. *noctium*, *c.* 20. Festus Pompejus *verbo Scita plebis*: notant Antonius Aug. *de legibus c.* 7. & 8. Brissonius *l.* 2. *de formulis*, *p.* 137. Osualdus *ad Donellum*, *l.* 1. *comment. c.* 8. *littera C*, quo modo explicant dictam legem primam de legibus, Gifanius *in l. stipulationum* 5. *n.* 45. Osuald. *d. l.* 1. *Donelli*, *c.* 16. *littera D.* Cujacius *l. definitionum Papin.* & Faber ibi, quamvis eam aliter accipiant Forcatulus *dial.* 2. *n.* 8. Pantoxa *in l.* 3. *de aleatoribus*, *n.* 6. Unde lex dicitur communis sponsio *in d. l.* 1. *ff. de legibus*: observarunt etiam Gothofredus, & Pantoxa *ubi supra*, D. Joannes de Solorzano *emblemate* 66. *n.* 3. & varia de ritibus ferendi leges adducentes Forculatus *dialog* 2. *n.* 7. Osualdus *ad Donellum*, *l.* 1. *comment. c.* 8. *littera C*, Connanus *l.* 1. *comment. c.* 13. Rosinus *l.* 8. *antiquit. c.* 2. noster D. Franciscus de Amaya *l.* 1. *observ. c.* 3. *in fine*, Robertus *l.* 3. *sent. c.* 2.

5 e *Intelligatur*.) Id est, quod dicimus, sacerdotio translato, translatam etiam esse legem, ex quibus verbis notat Glossa in præsenti, quod ubi est eadem ratio, idem jus statui debet: quod probant textus *in c. ad ejus*, 5. *dist. c. denique*, 4. *dist. c. si quis objecerit* 7. 1. *q.* 3. *c. inter*, *de translatione Episcopi*, *l. illud*, *ff. ad legem Aquil. l. cum autem*, *ff. de negot. gest. l.* 3. §. *judicio*, *ff. de tutela & rationibus*, *l. illud*, *C. de sacrosanctis Ecclesiis*, *l. quidam*, *ff. de edendo*: plures congerit Barbosa *in præsenti*, & *axiomat.* 197. pleraque tradit de connexis Franciscus Valens *in præsenti*, *notatione* 1.

COM-